TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE

DE

CAUSIS FEBRIUM EPIDEMICARUM;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES O'REGAN,
Hibernus.

Pestis adest, cui nec virtute resisti,
Nec armis telisve potest.
OVID.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

OPTIMO

ET BLANDISSIMO

PATRI MEO,

JOANNI O'REGAN, ARMIGERO,

HOC OPUSCULUM,

STUDIORUM PRIMITIAS,

DEDICATUM VOLO

JOANNES O'REGAN.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CAUSIS FEBRIUM EPIDEMICARUM.

JOANNE O'REGAN, Auctore.

DUM Febrium causas investigare conor, progressum nunquam non impediri sentio, infinita sylva opinionum summis auctoribus nitentium, adeo quidem ut prius unius cujusque merita perpendere oporteat, quam aliquam ut meliorem seligere liceat.

Hæ causæ sunt, frigus, calor, cœli vicissitudines, animi affectus, secundum nonnullos auctores;

sed longe præcipuæ sunt, miasma paludum, et contagio; atque de his ultimis maxime in paginis sequentibus agere decrevi.

DE CONTAGIONE.

Paucæ quidem res aut magis obscuræ aut difficiles quam contagio. Contagionum specificarum, origo, veluti variolæ et syphilidis, fere ultra conjecturam collocari videtur: cur vero omnes fere cognitæ contagiones, morsu canis rabidi et vaccinia exceptis, unum tantum animalium genus afficerent, nec aliis communicari queant, perinde inexplicabile, cur corpus humanum semel tantum in vita aliquibus venenis morbidis afficitur? Cur diversi homines, vel iidem diversis temporibus, tam mire inter se et a se invicem differunt in facilitate infectionis.

Quum vero hæc arcana impræsentiarum explanare nescimus, investigatio nostra rectori omnium relinquenda, ut posteriorum clarioribus animis ex sua bonitate temporeque revelet.

Quod febris continua sit contagiosa pauci nunc medici, utcunque theoriis obsecuti, dubitare videntur; etiam ignarissimi rem probe persuasam habent, nec nisi coacti ei se exponere volunt.

Febris quacum tam multi adsistentium in Foro *Old Bailey* Anglis dicto, anno salutis nostræ 1750, quamvis carceratis derivata, non proprie ab iis communicari dicatur; ii enim ipsi non morbo laborabant; neque extra eos quos in illo ædificio primitus affecit, postea propagata est. Quanquam enim violens atque lethalis fuit, multi ex familiis affectorum, nec e servis comitantibus, morbo correpti erant, adeo quidem ut propagatione carens brevi extincta est. Hinc tamen inferre licet, statum aëris resque contagioni exacuendæ necessariæ, non tum adfuisse *.

Difficile quoque explicatu est, cur contagii natura adeo sit incerta; ea tamen ipsa Providentiæ Divinæ bonitatem agnoscimus, qua sub hac dirissima calamitate, omnes nunquam ægrent, sed multi intacti restent, et cubantes curaturi, et solitis vitæ muneribus functuri.

---

* BLANE "On Health of Seamen," p. 216.

Neque minus mirum est, quomodo contagio, quam nulla prior generaverat, in mundo vel corpore humano gigni queat. Multi ejus generationem spontaneam pernegant, atque contendunt eam in corpore per aliquot menses latere, priusquam febrem excitet; multi sponte generari credunt; dum alii strenue probare contendunt, contagionem sui ipsius gignendi facultate frui.

Difficultatis certe judicandi bene conscius HAYGARTH, opinionem proferre noluit, contentus aliorum sententiam citare, ut multi homines in unum locum angustiorem conferti, ut in nave vel carcere, febres putridas inducere possunt, aëre fortasse respirando depravato.

Generi humano haud bene fortunavit, quod cognitio nostra naturæ contagionis sit adeo imperfecta, ut originem ejus investigantes in multos errores nos inducat. Aliquando ad causam aliquam originem ejus indagare nos posse credimus, de qua vires et malignitatem paulatim acquirens, strages in progressu suo teterrimas edit. Quod reperit medicus, juris publici lubens, ut hominem decet, facit; sed statim viri quidam ingeniosi adoriuntur, et sive zelotypia privata, sive veri

amore, sive demum sordido lucro instigati, inventum ut falsum abolere tentant.

Doctor BANCROFT putat historiam a seipso narratam, libro suo de Febre Flava, p. 130. (cui lectorem referre volo), certe probare contagionem nullam se generandi potestatem habere.

In universum observari potest, vix ullam unam aliquam causarum excitantium febris, ad morbum gignendum valere. Etiam contagio in corpus introducta sæpe febrem excitare nequit, corpore scilicet haud raro per causam aliquam fortiorem contra effectus ejus armato. Ejusmodi causæ, præsertim quæ corpus per animam movent, præ aliis hominem sospitantur, adve contagionem dant proclivem, spes, fiducia, enthusia, spiritus ardens, audax homines firmant, contra, ingentes labores et privationes, ut graves vicissitudines caloris et frigoris, tuto sustineant, efficiunt, imo vitæ fere necessariis orbatis robur impertiunt, quo nihil a contagio pati possunt.

Hujus rei historia medica expeditionum militarium mira et manifesta præbet exempla ; simul vero ac fortuna faciem avertit, præcipue inopinata, tum spes frustrata, timor, desperatio mentem

occupant, morbus gignitur, febres contagiosæ erumpunt.

Exercitus Equitis JOANNIS MOORE, vix contagionem in naves quæ vehebant intulisse potuit. Impedimenta enim terra hostili relicta erant, vestes militum imbribus permadidi; attamen antequam in Angliam pervenirent, febris maligna in nave omni erumpebat, atque febricitantes ad nosocomia translati, medicos nutricesque abunde infecere.

Naturæ quidem lusus multi, sæpe parum sibi congruentes: atque leges ejus non magis incertæ sunt quam nos earum inventionis impotes: præterea non gravis momenti putarem, necne contagio e certis conditionibus ei faventibus gignatur, quoniam documenta si ulla pauca sunt. Summæ vero utilitatis est discere sub quibus conditionibus gignatur, ut generationem ejus caverem, si fieri potest, vel progressum ejus ut decet, inhiberem.

Celeberimi CULLENI sententia fuit, effluvia corpore humano perpetuo exhalata, si diu retenta eodem loco, nec aëre diffusa, virulentiam peculiarem acquirere, atque ex ea conditione corporibus

hominum admota, febris admodum contagiosæ causam efficere. Utcunque hypothetica hæc sententia nonnullis videatur, magnis utique viris placuit, multisque documentis roboratur.

Putat Eques GILBERTUS BLANE, infectionem, vel, potius aërem pravum generatum, corporibus computrescentibus, post pugnam navium Gallicarum bello captarum, febris causam extitisse. Gallos enim navales febre misere laborare; quippe qui disciplinæ et œconomiæ internæ navium non satis animum attendant. Pro exemplo lectorem referre volo libro suo, *Diseases of Seamen*, Anglis dicto, et præcipue, narrationi grandissimæ navis Civitas Parisiensis dictæ.

Aër noxius plerumque generatur hominibus loco angustiore detentis, eademque vestimenta immutata in corporis contacta retinentibus. Ea vera febris carcerariæ origo est; neque temere CULLENUS febrem nervosam Britanniæ huic fonti attribuit; credidit enim infectionem quandam sed mitiorem, vestimentis pauperum habitaculisque nasci, quorum ignavia vel inopia necessariæ purgationi obstaret.

Contagio, ut alia quædam venena, eos sibi as-

suetos minus facile afficit: hinc ii qui paulatim contagioni gradatim nascenti objecti sunt, minus proclives evadunt; nec alia est causa cur medici, nutrices, nosocomiorum inquilini, quam alii, et puriore aëre utentes, multo minus proni ad febrem sunt.

Nonnunquam accidit, ut navis, cujus nautæ diu constituti fuerunt, iis saluberrima erit; novis tamen hominibus admissis, illico morbus exardet, qui et pristinos et novos pariter corripit, nullo discrimine facto. Hoc principium (legem dicam?) naturæ humanæ, quo advenarum præsentia morbum infert, multis et locupletibus testimoniis corroboratur. Insula est, inter Hebrides Scotorum, longinqua cæteris ita remota, ut sæpe per plures menses, nemo mortalium incolas ejus invisat, atque tandem, cum fortuna peregrinum aliquem eo appulit, incolæ catarrho affici solent; proclives nimirum, propter longam commeatus hominum interruptionem, facti.

Loca quoque conferta, vel male ventilata, febri gignendæ non semper necessaria sunt. Qui enim imprudenter se frigori vel humori, scilicet fatigati vel excalefacti, fere semper horrores ex-

perti sunt, quales febrem continuam indoles perquam malignæ introducerent.

DE MIASMATIBUS PALUDUM.

INTERMITTENS, quæ simplicissima febris forma est, miasmatis paludum, hoc est, e particulis materiæ vegetabilis computrescentis ita compositis, ut certas dotes noxias possideant, minime tamen solis paludibus nascuntur; nam inter tropicos auctor diligentissimus nos certiores facit, montes, altis sylvis, vel densis dumetis obsitos morbis, campestribus et palustribus omnimodis similibus, originem vulgo præbere *.

Hiberniæ aër nusquam purior quam mediis paludibus; atque iis locis febris intermittens rarissime occurrit; dum aliis, et multo melius siccatis cultisque, quod demum aspectum attinet, saluberrimis, hæc febris haud ita infrequens videtur †.

---

* JOHNSON "On Tropical Climates."

* Trans. Med. Ass. Dub.

Certis Eblanæ regionibus, febrium intermittentium exempla nonnunquam obveniunt; ubi tamen valde improbabile est, miasmata paludum adfuisse: quoniam intermittens, continuæ febri supervenit, saltem febri quæ nullo modo a continua discrepare visa est. Quin etsi plurimi in iisdem regionibus febribus continuis crebro afficiantur, notatu tamen dignum est nullum interea febris ab origine intermittentis exemplum extare. Nunc si fortuita accessio, vel spontanea evolutio ejus principii, quod febres continuas gignit, sic manifeste superveniat, nonne jure ducendum est, sub peculiaribus conditionibus et peculiare principium illud, continuarum febrium originem, generari posse * ?

Cleghorn testatur, mense Julio, febres tertianas sub variis formis prodire inter omnis ætatis homines, atque ab alio in alium contagio propagari; adeoque eos inter febrientes multum occupatos facile corripere. Hæ febres quotidie augescere pergunt, ad æquinoctium autumnale usque, quo tempore summa sævitia grassantur;

* Trans. Med. Ass. Dub.

omnes ætates, vitæ, corporum conditiones, incolas, advenas, indifferenter adortæ *.

Doctor Robertus Hamilton, de febre remittente paludum agens, testatur infectionem in habitationibus multorum priore anno ægrotantium mansisse visam, aliumque morbi fontem fertilem evasisse. Quanquam enim dictum est, febrem remittentem paludum primo non contagiosam existere, metuo ne post plures autumnos morbidos, tandem hanc dotem acquirat, fortasse propter humiditatem multorum ædificorum in locis humilibus, quæ nidum quasi miasmatis jam infectiosis præbet. Quomodocunque vero res se habeat, illud constat, per numerosas familias febrem transire, postquam unum alterumve ex iis occupaverit. Quod si non contagium, certe contagio simillimum est.

Apud nautas, sæpe pauculi dysenteriis primo afficiuntur, quæ res malignum aëris ingenium denotat; atque febres gravissimæ, sive remittant, sive intermittant, brevi insequuntur; tertiana vero duplex forma inter tropicos frequentissima, veluti

* "Diseases of Minorca."

apud Guineam, Jamaicam, et siqua alia loca. LINDIUS a febre flava discrepare putat, atque apud nautas navium grandiorum contagio propagari *.

Nautæ et præfecti Phænicis, navis bellicæ, Anno Domini 1766, oram Guineam adnavigaverant, et reduces sanissimi vigebant, donec insulam Sancti Thomæ appellerent. Ibi dux navis aliique præfecti ædificio quodam insulæ dormiebant, morbosa anni tempestate; paucis vero post diebus, omnes, numero septem, ægrotabant, et uno excepto moriebantur. Ex octo aliis duo tantum, licet graviter affecti, superstites; denique omnes nautarum qui in littore pernoctabantur, febriebant; tres tantum ex magno munero lethum evadebant †.

JACOBUS FELLOWS, Eques, illustris, de Febre Walcheren agens, exempla narrat, ubi febres intermittentes continuæ ac remittentes eadem origine apud insulam Bevelandiam nascebantur. Nemo quidem ignorat, intermittentes et remittentes, quæ miasmatis paludum gignuntur, sæpe

* LIND, p. 49.

† Idem, p. 244.

continuas fieri, et typhoidem speciem induere: supra quidem, febris continuæ in naturam intermittentis transgredientis exemplum tradidi. Quum igitur hoc modo promiscue oboriantur, non tantum ab eadem causa, sed etiam a se invicem mutuo; nonne pro eodem morbo, sed *typo* variante habendæ sunt? Aspectus quidem morbi mutatur, non vero *character:* atque morbi virulentia determinetur, aut proclivitate hominis infecti, aut gravitate infectionis cui idem objicitur. His consideratis, persuasus sum, concedendum esse, quoniam febris intermittens et remittens, nihil sint nisi varietates quædam febris continuæ, easdem contagii generandi facultate pollere, vix possibile puto singulos harum febrium paroxysmos contagionem gignere; sed quantitatem hujus adeo exiguam esse ut detectionem evadat, nec aliquem præsentem, saltem in conclavi bene ventilato contaminare possit; si tamen æger in loco angusto, aëre puro non fruente, cubet, effluvia e corpore ejus orientia ibi accumulari, et sic condensari possunt, ut actuosa fiant, atque adstantes, sive medicos, sive ministros, febre afficiant. Quando duo vel plures, una ægrotant, vel morbus per aliquod

tempus endemicus regnavit, tunc effluvia ex ægrorum corporibus halantia, magis virulenta fiunt, et observationis accuratio notabilior evadat.

De Febris Flavæ natura, clari viri multum literis tradidere. Alii contagiosam esse contendunt, alii, nec pauci, firmissime negant. Quandoquidem egomet hujus morbi exemplum nunquam viderim, utri rectius sentiant, pronunciare non ausim. Liceat tamen rei analogiam spectare; atque inde quidem neutros penitus errare, cum erudito viro JACOBO JOHNSON concludere cogor: statuit enim si homo febre correptus sit, aut a majore prædispositione, aut liberiore objectione causis recensitis quam comites ejus subeunt id fieri. Morbum iis eodem cubiculo dormientibus, non communicabit, si modo munditia communis servetur; contra, si multi fere eodem tempore corripiantur, atque in loculis angustis navium, vel lectis impuris jaceant, tum fieri potest, ut atmosphæra quasi contagiosa circa corpora formetur, qualis morbum facile propagare possit; endemico tum sævienti simillimum; sed cum dote periculosa superaddita, semet in aliis mortalibus generandi, sive causa primaria conjuncta sit, sive hæc nova

sola agat. Equitis GILBERTI BLANE opinio est, contagionem febris continuæ earum regionum effectu locorum inter tropicos ita affici, ut ingenium ejus proprium mutetur.

Varia narrat exempla navium homines typho febrientes ad Indiam Occidentalem vehentium, quorum si nautæ ibi aliqui eo contagio infecti fuissent, non amplius typho, sed febre alia, febrem ejus regionis epidemicam referente, affici videbantur. Huic sententiæ ut assentiar adductus sum, a variis rebus quarum ipse testis fui, quæque evincunt nullo exemplo contagionis naturam mutari, quamvis febris quam inducit characterem epidemici ibi qua nascitur grassantis induat, etiam caloris conditione ejusdem loci affici potest, morbus cujuscunque febrientis.

Mense Aprili anni 1819, in Nosocomio PATRICII DUN, Eblanæ, plurima febris exempla vidi quæ contagione febris continuæ, et quæ multa ex signis characteristicis pestis assumerent; atque mense Julio vel Augusto 1820, vidi exemplum febris quæ ad flavam illam Indiæ Occidentalis quam proxime accederet. Hisce quidem temporibus nostri cœli temperies talibus morbis gignen-

dis favebat; neque veri absimile est, ægros tantum infectionis copiam imbibisse, aut tam vehementer proclives factos fuisse, ut febris, quacum laborabant, exitialem sane indolem, cui cœli conditio tunc favebat, facile indueret.

His aliisque rebus rite consideratis, persuadear, febrem sæpe sponte oboriri; atque hæc opinio non eo minuitur, quod alios morbos contagiosos nunquam hoc ritu nasci videam. Cuique enim morbo suus mos, suæ leges; et admisso febrem variis fontibus provenire, epidemicorum originem et progressum facile explicamus; atque causam excitantem et prædisponentem vestigando, ea remedia quæ prohibere vel supprimere futura sint. Videmus quidem multo labore res inanimatas ab injuria conservari. Hæ vero quanticunque pretii æstimentur, vitæ tamen humanæ longe postponendæ sunt; nihilominus, metuo ne talium cura, ea vigilantia, qua saluti hominum omnibus bonis medicis studendum est, multo potior sit habita.

Infectio febrium a plurisque aliis morbis diversa, eo maxime quod in virulentia sua maxime variat. Haud sine causa plerique putant, et va-

riolam et syphilidem sua natura immutabiles esse, imo diversam subinde eorum morborum malignitatem a constitutione, aliisque rebus ad ægrum pertinentibus, pendere; dum contagio febrium, diversæ potentiæ, sæpe quidem obscura, latens, propter hanc ipsam causam fallacior fit, atque majore vigilantia eget.

Proximam contagioni causæ excitanti febris, conditionem plebis miseram inter causas illius propono; quæ quidem frequentissima, simulque copiosissima, febrium epidemicarum origo est. Perinde quidem mihi videtur, an bello an paulatim gliscentibus malis domesticis, multi simul mortales ad summam miseriam redacti sint. Alterutra ratione conditio quædam gignitur, quæ contagionem evocat, quæque corpus humanum sævitia ejus prodit. Miseriis obrutorum genus nervosum vi sua solita fraudatur, adque contagionem recipiendam disponit, causis simul, quæ contagionem facile generant, concurrentibus.

Quo efficacius hæc febris supprimatur, attentio nostra ad moralem, non minus quam physicam societatis humanæ constitutionem, dirigi debet. Talis quidem earum connexio est, ut ubicunque

illa permanenter vitiosa est, hæc fere semper invenietur eas res omnes præstare, quæ morbum contagiosum generare atque disseminare valent. Apud homines meliore loco natos, raro febris sponte nascitur, quin siquando ita nascatur, vel contagione communicetur, totas per familias non tam late vagatur, uti inter pauperes solet. Contagio tamen eadem est, aut si qua effectuum ejus differentia existat, signa graviora sunt, atque indolem magis malignam manifestant apud divites. Exceptis igitur paucis quibusdam exemplis, qualis est contagio specifica peculiariter maligna, multos mortales fere eadem facilitate corripiens, certum est, quod si mores et consuetudines imæ plebis melioribus assimilari possent, morbi febriles fierent multo minus quam nunc sunt frequentes.

Ut hoc efficaciter peragi queat, legum latorum est, necnon divitiorum egenam plebem ad id promovere et adjuvare. Quandoquidem principium omnibus placeat, sola difficultas restat, de modo et ratione quibus sit perficiendum. Illud utique certum est, pauperibus gratis haud alendis opus esse, sed salubri labore, qui corpus roboret, sa-

num, mundum, alibilem iis cibum comparet, occupandis.

Puerorum quoque educatio solida, non illa inefficax quæ, neglectis principiis prudentiæ morumque bonorum, animum nequaquam illuminat, legere et scribere, imitatione quadam docet; sed quæ industriam, munditiam, sobrietatem inculcet; atque indoctis vulgi animis inurat quasi commoda inæstimabilia quæ illa necessario pariunt. Quicunque has artes proletariis discentibus probe animo infixerit, multo melius de genere humano meritus erit, quam disciplinæ cujuslibet, splendida utcunque theoria sit, tamen usui vitæ communis parum accommodatæ, sexcenti magistri.

FINIS.